

P. S. Dem Vorstehenden sollten anfänglich noch ein Anhang von Noten, der Hinweis auf Quellen, Parallelstellen, auch hin und wieder polemische und kritische Anmerkungen beigegeben werden; allein bei näherer Erwägung stand ich von diesem Vorhaben ab und gewann dadurch Raum, durch Hinzufügung der nachfolgenden kleinen Abhandlung einer größern Anzahl von Lesern etwas zu bieten. Denn woher ich dieses oder jenes entnommen und zusammengelesen, wen wird das bei dieser Art von Arbeiten interessieren, dem es um die Sache zu thun ist, und wem wäre damit gedient? Als eiteln und, wie bekannt, sehr wohlfeilen Glitter und Prunk mit wirklicher oder scheinbarer Nelesenheit aber ließ mein Gefühl eine solche Zugabe eben so sehr verschmähen, wie das Bewußtsein selbständiger Durcharbeitung des Stoffes, — als Rautel etwa gegen den Vorwurf des Plagiatos — sie entzathen kann.

## II.

### De interrogativorum relativorumque enunciatorum confinio, maximam partem apud Herodotum.

§. 1. Nuper Herodoti historias legens non poteram quin admodum hæsitarem in hisce verbis quæ sunt I. 120:

*Κύρου δὲ περὶ βουλευῶν ἐκάλεε τοὺς αὐτοὺς τῶν μάγων, οἳ τὸ ἐνύπνιον οἱ ταύτη ἔκριναν. ἀπικομένους δὲ εἶρετο ὁ Ἀστυάγης, τῇ ἔκρινάν οἱ τὴν ὄψιν.*

Neque vero id factum est ea re, quæ omnibus quantum video interpretibus offensionis fuit — sive enim cum Kruegero, Lhardyo, Abichtio ταύτη adverbium ad ea quæ supra capite 108 narrantur, quamvis multa interiecta sint, referre, sive cum Steinio, id quod mihi non displicet, vel τοῦτο vel τότε emendare animum induxeris, iam difficultate expedita non erit cur amplius hæreas — sed alia eaque, ut mihi quidem videtur, paullo graviore. Quæ res quod nemini interpretum, ne Kruegero quidem, acerrimo harum rerum iudici, scrupulum iniecit vel saltem commemoratione digna visa est valde miror. Qui enim fieri potuit, ut in posteriore istius enunciati parte, quam interrogativam esse nemo non videt, pro interrogandi pronomine vel adverbio relativo uteretur? Idem quæro in hoc altero exemplo quod legimus II. 82:

*Καὶ τὰδε ἄλλα Αἰγυπτίοισι ἐστὶ ἐξευρημένα, μεις τε καὶ ἡμέρη ἐκάστη θεῶν ὅτεν ἐστὶ καὶ τῇ ἕκαστος ἡμέρη γινόμενος ὅτιοισι ἐγκυρήσει κτλ.,*

ubi neminem illorum interpretum offendisse magis etiam mirandum est. Namque quam omnes recte inesse dixerunt sententiam: *und an welchem Tage geboren was für Schicksalen er begegnen wird*, vel: *was für ein Schicksal jeder haben wird, je nachdem er an diesem oder an jenem Tage geboren ist*, eam inesse nullo modo posse iudico nisi bis posito in eadem enunciatione pronomine interrogativo. (Vide Kruegeri gramm. gr. §. 51, 17, 5 et 10.) Itaque pro τῆ emendes velim τῷ vel τέω, quod quam facile a librariis mutari poterit non est quod dicam.

Nonne igitur similiter ab eisdem etiam I 120 peccatum atque una tantum litterula mutata κῆ (vel ὄκη) restituendum esse mecum senties? Quocum conferas I 32 extr. σκοπέειν δὲ χρή παντός χρήματος τὴν τελευταίην κῆ ἀποβήσεται, VIII 67 init. Πάριοι . . . παραδόκειον τὸν πόλεμον κῆ ἀποβήσεται, VIII 130 extr. ἅμα δὲ καὶ ὠτακούσκειον ὄκη εἶη ὁ ἐωυτῆς ἀνὴρ.<sup>1)</sup>

§. 2. Tu vero, nimirum grammaticae gnarus ac peritus, haud scio an levitatem mihi et proclivorem ad artem criticam factitandam animum crimini daturus atque adeo ad ea me relegaturus sis, quae eidem illi quos nominavi commentariorum Herodoti compositores allata exemplorum multitudine affirmant: *saepe apud hunc scriptorem in obliquis quae vocantur interrogandi enunciativis inveniri pronomem relativum*. Ita enim post Kruegerum Steinius docuit ad I 56, Abichtius ad II 121, VI 124 etc. A quibus Struve l. l. p. 32 non dissentit: *pro vero relativo interrogativum κῆ poni nequit; in interrogatione vero pendente et interrogativum et relativum locum habet*. Sed liceat mihi, id quod divus Augustinus (epist. ad Hieron. 19, 1) sibi licere putabat, alios ita legere ut, quantalibet et auctoritate et doctrina praepollent, non ideo verum putem quod ipsi ita senserunt. Quamquam enim neque illorum me iudicium praeteriit, neque quid grammatices graecae scriptores, velut Matthiae (II §. 485), Rost (123<sup>b</sup> adn. 2), Kuehner (§. 837 adn. 3), Krueger, Baeumlein,<sup>2)</sup> alii de pronominum in obliquis interrogationibus usu doceant ignoro, tamen tantum abest ut apud Herodotum l. l. τῆ relativum ferri posse concedam, ut re omni ex parte examinata ac perpensa persuasum habeam non posse non legi κῆ (vel ὄκη) interrogativum. — Neque vero contendere et asseverare, probare me atque evincere oportebit.

<sup>1)</sup> Duobus autem in locis, VII 163 πέμπει ἄνδρα . . . παραδοκίοντα τὴν μάχην ἣ πεσέεται et VII 168 παραδοκίοντες καὶ οὗτοι τὸν πόλεμον ἣ πεσέεται, quam libri exhibent scripturam etiam invitis libris vel in τῆ vel in κῆ mutandam esse iam Struve quaest. de dial. Her. spec l. p. 32 recte monuit. Equidem cum Kruegero κῆ praeferendum censeo. Vide quae infra dicuntur § 9.

<sup>2)</sup> Is vero latissimos legis fines circumscribens dicit (Griech. Schulgr. § 692): In der indirekten Frage stehen ὅστις, ἥτις, ὅτι, ὅποιος, ὅποιος, ὅπου, ὅποθεν, ὅποτε, ὅπως u. s. w., aber ebensowohl auch die direkten Fragewörter und die einfachen Relativa. (!?)

§. 3. Quod ut faciam, paullo altius repetendum erit atque de enunciatorum quae sunt relativa aut interrogativa natura ac discrimine pauca breviter attingenda mihi vel perstringenda videntur omnibus satis nota.

Si quis igitur apud Livium (I. 6) invenerit: *ut dii . . . auguriis legerent, qui nomen novae urbi daret, qui conditam imperio regeret*, vel apud eundem (I. 17 extr.): *adeo id gratum plebi fuit, ut, ne victi beneficio viderentur, id modo sciscerent iuberentque, ut senatus decerneret, qui Romae regnaret*<sup>3)</sup>, vel apud Ciceronem (de sen. 4): *nihil est admirabilius quam quo modo (i. e. is modus, quo) mortem filii tulit*, nemo erit quin videat in his enunciatis et quae sunt similia pronomen demonstrativum mente addendum esse. Praeterea in eo quod postremum posui exemplo nomen substantivum, quo pronomen relativum referendum est, transpositum pro antiquorum consuetudine ab relativo assumitur, unde fit ut enunciati forma interrogativae simillima evadat. Sed cavendum est ne rei imagine ac falsa specie decipiamur. Si quis enim dicat: *γινώσκει τὸν κίνδυνον, οὐ μέλλει μεθεξείν*, nemini, opinor, relativa enunciati natura dubia videbitur; attamen translato substantivo si dixerit: *γινώσκει, οὐ μέλλει μεθεξείν κινδύνου*, vereor ne quis adduci possit ut interrogativum esse credat enunciatam, quod nihilominus relativum est.

§. 4. Quae commemoravi tam nota sunt atque in ludis trita, ut subirasci mihi videaris quod monuerim. Non fecissem, nisi huius rei, quam ignorare discipulos dedecet, mirum quantum doctores oblivisci atque in explicandis græcorum scriptorum verbis immemores esse viderem, adeo ut isti pro interrogativis multa venditent, quæ, modo recte intelligas, relativa esse apparet. Nec contenti hoc uno errore longius progrediuntur atque eiusmodi exemplis nisi legem istam, quam supra (§. 2) commemoravi, sibi confingunt.

Afferam exempla tuoque ipsius iudicio proponam. Initium autem ab Herodoto faciam, cuius in libris hæc inveniuntur:

Primum est I. 56: *Μετὰ δὲ ταῦτα ἐφρόντιζε ἱστορέων, τοὺς ἂν Ἑλλήνων δυνατωτάτους ἔοντας προσκτῆσαιτο φίλους*. Non uno autem nomine, qui hoc enunciatum interrogativum esse putent, errare mihi videntur. Etenim non illud potissimum Croeso explorandum est, quosnam Græcorum socios sibi adiungat: id iam oraculo monitus compertum habet, quod dixit potentissimos: sed qui sint potentissimi, hoc potius quæritur. Itaque sic mecum verba intelligas: *ἐφρόντιζε ἱστορέων τούτους τῶν Ἑλλήνων, οὓς ἂν δυνατωτάτους ἔοντας προσκτῆσαιτο φίλους* i. e. er gab sich Mühe diejenigen zu erkunden, stellte angelegentlich Nachforschungen an nach denjenigen unter den Hellenen, welche

<sup>3)</sup> Idem decernendi verbi usus apud Ciceronem invenitur (v. Nizol. vel Forcellini lex.), velut: Crassus tres legatos decernit nec excludit Pompeium — stipendium Caesari decretum est et decem legati.

er als die mächtigsten (weil sie die mächtigsten wären) sich wohl zu Freunden machen würde. <sup>4)</sup>

Alterum exemplum legitur II. 2: *ὡς οὐκ ἐδύνατο πυνθανόμενος πόρον οὐδένα τούτου ἀνευρεῖν, οἱ γενοῖατο πρῶτοι ἀνθρώπων, ἐπιτεγνᾶται τοιόνδε.* Sed tribus ante versibus cum idem scriptor dixerit: *ἠθέλησε (Ψαμμίτιχος) εἰδέναι, οἵτινες γενοῖατο πρῶτοι*, nonne hac ipsa re de discrimine quodam, quod inter utrumque intercedat, cogitare iubemur? Atque est sane discrimen aliquod. Quod perspicuum tibi erit animum advertenti ἀνευρεῖν verbo suum iam esse obiectum quod vocant, *πόρον οὐδένα τούτου.* Steinius vero quo suo iure vel unde vocabulum adsciscens explicaverit *τούτου τοῦ ζητήματος*, non percipio. Immo intelligas necesse erit *τοῦ εἰδέναι* vel potius *τοῦ πυνθέσθαι* sc. *τούτους οἱ γενοῖατο πρῶτοι.* Sic enim hæc interpreteris velim: *καίπερ πυνθανόμενος πόρον οὐδένα τούτου* sc. *τοῦ πυνθέσθαι ἐκείνους, οἱ γεν. πρ., ἐδύνατο ἀνευρεῖν* i. e. trotz aller Nachforschungen nach jenen, welche... konnte er damit nicht ans Ziel gelangen. Falso référens verba *οἱ γενοῖατο πρῶτοι ἀνθρ.* ad pronomen *τούτου* ipse primum conieceram *τρόπον οὐδένα τούτους ἀνευρεῖν, οἱ γεν. πρ.*, quae facillima sane foret emendatio, si emendatione hic opus esset. Ceterum si quis haec verba: *οἱ γενοῖατο πρῶτοι ἀνθρώπων*, pro glossemate habere maluerit, non prorsus repugnabo.

Tertium exemplum habes IX. 71: *καίτοι γενομένης λέσχης, ὅς γενοιτο αὐτῶν ἄριστος, ἔγνωσαν κτλ.* De quo loco idem quod ipse sensi breviter, quae est viri gravissimi consuetudo, vel obiter iam indicatum inveni ab G. Bernhardy in libro qui iuscribitur *Wissenschaftliche Syntax der griechischen Sprache* p. 291: *einfacher wird Eur. Iph. T. 767 σήμαινε δ' ὧ χρῆ τάςδ' ἐπιστολάς φέρειν nur τοῦτον ergänzt (cf. Herod. IX 71).* — Recte enim interpretaberis non hoc modo: cum quaereretur quis eorum fortissimus esset, sed potius: cum sermo fieret, cum confabularentur de eo, qui etc.

§. 5. Ea tamen quae attuli exempla ita comparata sunt, ut possit sane aliquis in errorem facile induci, quamquam non aliam ob causam interrogationis obliquae formae videntur, nisi quod solitae cogitandi viae tenaciores vernaculae linguae consuetudinem Graecis quoque subdere natura perducimur.

Quid vero, quod unus Herodoti interpretum hisce etiam exemplis usus est ad confirmandam illam legem de enunciatis oblique interrogativis ab se propositam! Unum invenitur II. 134 extr.: *ἐπεῖτε γὰρ, πολλάκις κηρυσσόντων Δελφῶν ἐκ Θεοπροπίου ὅς βοίλοιτο ποινὴν τῆς Αἰσώπου ψυχῆς ἀνελεῖσθαι, ἄλλος μὲν οἶδεις ἐφάνη, Ἰάδμονος δὲ παιδὸς παῖς ἄλλος Ἰάδμων ἀνείλετο, οὕτω καὶ Αἰσώπος Ἰάδμονος ἐγένετο.* Ita enim haec cum Kruegero con-

<sup>4)</sup> Eundem verbi *ἱστορεῖν* usum apud alios habes, velut Eurip. Or. 380 *ὅδ' ἐμ' Ὀρέστης, Μενέλεως, ὄν ἱστορεῖς.* Trö. 261 *Πολυξένην ἔλεξας, ἢ τίς ἱστορεῖς;*

stituenda esse iudico, ut apodosis incipiat a vocabulo οὔτω. Etiam si vero Abichtium vel Dietschium secutus ἔπειτεν emendare malueris, infinitivus ἀνελεσθαι cum certe referendus sit ad participium κηρυσσόντων, nemini sane hic obliquae interrogationis in mentem venire debet nisi dormitanti. Conferas Xenophontis anab. VI 4, 23: ἐκήρυξε τὸν βουλόμενον (=ὃς βούλοιτο) ἰέναι ἐπὶ τὰ ἐπιτήδεια.

Sed nescio an magis etiam notandum sit, quod idem ille de obliqua interrogandi forma cogitavit in hoc altero exemplo quod est IV 53: τὸ δὲ κατύπερθε δι' ὧν ῥέει ἀνθρώπων οὐδεὶς ἔχει φράσαι. Nonne Ciceroniano, quod supra §. 3 attuli, simillimum ac paene gemellum hoc est?

§. 6. Visne iam ad alios quoque ab Herodoto perducere scriptores? Male igitur Matthiae (§. 485) hunc attulit locum Xenophontis Mem. II 6, 29: μὴ σὺ οὖν ἀποκρύπτου με, οἷς ἂν βούλοιο φίλος γενέσθαι, quem recte explicabis addendo τούτους demonstrativum; male idem hunc Sophoclis versum Antig. 542: ὧν τοῦργον, Ἄιδης γ' οἱ κάτω ξυνίστορες, ubi τούτοις intelligas recta ratio postulat; male Baeumlein l. l. usus est hoc exemplo Isocratis ad Demonicum §. 5: μέλλομέν σοι συμβουλεύειν (sc. ταῦτα), ὧν χρὴ τοὺς νεωτέρους ὀρέγεσθαι κτλ.; male alii hisce Thucydidis I 137: φράζει τῷ ναυκλήρῳ, ὅστις ἐστὶ καὶ (sc. ἐκεῖνα), δι' ἃ φεύγει, vel V 9: τὴν δὲ ἐπιχειρήσιν, ᾧ τρόπῳ διανοοῦμαι ποιῆσθαι, διδάξω i. e. διδάξω τὸν τρόπον, ᾧ κτλ., cui loco simillimus est VIII 50: γράψας καθ' ἕκαστα ἀτειχίστου οὔσης Σάμου, ᾧ ἂν τρόπῳ αὐτὰ πράξειεν κτλ., vel VIII 46: ἀπορεῖν ἂν αὐτὸν (sc. ἐκεῖνα), οἷς τοὺς κρατοῦντας ξυγκαθαιρήσει; male denique hoc Sophoclis Trach. 162: εἶπε μὲν, λέχους ὃ τι χρεῖη μ' ἐλέσθαι κτήσιν · εἶπε δ' ἦν τέκνοις μοῖραν πατρῴας γῆς διαίρετον νέμοι.<sup>5)</sup>

§. 7. Ex eorum quae hactenus attuli exemplorum copia, cur saepenumero factum sit ut quae relativa sunt enunciata pro interrogativis haberentur, elucebit. Una enim causa est omissi pronominis demonstrativi multo latior in graeca quam vel in nostra vel in latina lingua usus (cf. Krueg. §. 51, 13), altera est, unde interrogativo etiam similis evadere solet enunciatum relativum, nominis substantivi, quo relativum refe-

<sup>5)</sup> Dignum autem quod observes variandae orationis studium mihi videtur et in hoc exemplo Sophocleo perspicuum et in Thucydideo paullo supra allato. Nec aliter Isocrates ad Demonicum §. 5 relativam enunciati partem coniugavit cum interrogativis: μέλλομέν σοι συμβουλεύειν, ὧν χρὴ τοὺς νεωτέρους ὀρέγεσθαι, καὶ τίνων ἔργων ἀπέχεσθαι, καὶ πρὸς τοὺς ἀνθρώποις ὁμιλεῖν, καὶ πῶς τὸν ἑαυτῶν βίον οἰκονομεῖν, vel Euripides Iph. Taur. 767: σήμαινε δ' ᾧ χρὴ τὰς δ' ἐπιστολαὶς φέρειν πρὸς Ἄργος, ὃ τι τε χρὴ μύθοις σου λέγειν, alii alias. — Etiam Herodotum plerumque, si plura sunt obliquae interrogationis membra, promiscue uti vocibus et simpliciter et oblique interrogativis (velut ὁκόθεν τε καὶ τίς εἶη, εἰρώτα I 35, II 115, III 156, IV 145 etc.) observavit Struve quaest. de dial. Her. spec. I. p. 49 not. Vide Stallbaumium ad Plat. Crit. p. 48 A.



rendum est, ad ipsum pronomen conformati atque ab eo assumpti transpositio. Sed aliae praeterea restant duae, si quid video, erroris causae. Quarum altera est nominis sive substantivi sive pronominis prolepsis vel anticipatio quae vocatur, cuius exempla supra habes (§. 1 cum nota), altera quorundam vel verborum vel adiectivorum nostra in lingua — ut barbaramente loquar — impersonaliter plerumque adhibitorum personalis constructio, veluti *φανερὸς ἔστιν ὃ βούλεται*.

§. 8. Attamen errat, ut de hac re prius agam, Buttmannus vir doctissimus (gr. gr. §. 151, I, 7), qui de interrogativa enunciatione hic cogitaverit. Immo relativa est. Ratio enim postulat ut dicatur aut *φανερὸν ἔστι (τοῦτο) ὃ βούλεται*, aut *φανερὸς ἔστιν (sc. τοῦτο, in Beziehung auf das) ὃ βούλεται*. Neque aliter iudico de hoc exemplo, quod idem Buttmannus in medium proponit: *οὗτοι ἐπιδειχθήσονται, οἷοί εἰσιν ἄνθρωποι*. Ne hoc quidem enunciatum, nisi diverso modo cogitata confundere atque commiscere volumus, pro interrogativo, quod illi videtur, habendum est. Etsi enim vernacula lingua vertere consuevimus: „es wird sich zeigen, was dies für Leute sind,“ quae interrogativa enunciati forma ne a graeco quidem sermone abhorret — *ἐπιδειχθήσεται, ὅποιοι (ποῖοι) οὗτοί εἰσιν ἄνθρωποι* — tamen graecum illud accurate et verbum verbo reddere si volumus, dicendum erit: „sie werden sich erweisen als solche, wie sie sind,“ ubi relativa enunciati natura manifesta est.

Itaque de hoc exemplo Herodoteo II 121: *ὅπως μὴ αὐτὸς ὄφθεις καὶ γνωρισθεῖς, ὃς εἶη, προσαπολέει καὶ ἐκεῖνον* rectius iudicabis, quam praeter Steinium, Abichtium etiam Baehrius fecit, qui haec adnotavit: „agnitus quis esset. Ubi ὃς pro interrogativo pronomine accipere licet.“ Immo non licet. Namque obliquam interrogationem non esse iam inde apparet, quod verba *ὃς εἶη* (i. e. als der, welcher er wäre) salva sententia plane omitti possunt, id quod fieri nequit in enunciato vere interrogativo, velut: *εἶρετο τίς (ὅστις) εἶη (ἔστιν)*. Eadem res est de hoc loco Her. III 68: *ὀγδόω δὲ μηνὶ ἐγένετο κατάδηλος ὃς ἦν τρόπων τοιῶνδε*. — Simile in promptu est Sophoclis exemplum O. T. 1036: *ὥστ' ὀνομάσθης ἐκ τύχης ταύτης, ὃς εἶ.*<sup>6)</sup>

§. 9. Nec adeo diversa res est de prolepsi, quae verborum consecutio non minus propria est graeci sermonis. De qua praeter Buttmannum (§. 151, I, 6), Curtium (§. 397, 519), imprimis luculenter egit Krueger §. 61, 6. Quodsi quae ibi vir strenuus ac diligens affert exempla examinaveris, in hisce maximopere cavendum esse ne quae apud Graecos relativa sunt enunciata nobis interrogativa videantur, minime te fugiet. Etenim vereor ne futurus sit qui simillima inter sese existimet haec Platonis exempla: *μάνθανε αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν,*

<sup>6)</sup> Aliquanto sane haec differre dicendum est ab eis exemplis quae infra §. 10 congesi.

οἷόν ἐστιν<sup>7)</sup> et hoc: τοῦτον οὐ μανθάνω, ὃ τι βούλεται λέγειν, quae nihilominus diversi generis sunt. Hoc enim revera interrogativum est, illud relativum; neque vero in vocibus tantum inest discrimen, sed in sententiis differentia cernitur. Namque alterum enunciatum μάνθανε αὐτήν τὴν ἀλήθειαν totum iam est et solidum, sententia quodammodo absoluta et perfecta, cuius explicandae gratia potest apponi, non debet, οἷόν ἐστιν supplementum relativum. Quo supplemento omissio sententia tamen eadem est atque si dicas: μάνθανε, ὁποῖόν (ποῖόν) ἐστὶν αὐτὴ ἢ ἀλήθεια. At longe secus est in altero enunciato. Nam τοῦτον οὐ μανθάνω verba non eandem efficiunt sententiam quam haec: οὐ μανθάνω ὃ τι οὗτος βούλεται λέγειν, nisi arctiore vinculo orationis (i. e. obliqua interrogationis forma) addideris, quae a Platone addita esse vides. Propterea nullo modo poterat dici ὃ βούλεται λέγειν, quamquam in altero illo exemplo poterat sane dici etiam τὴν ἀλήθειαν ὁποῖόν (ποῖόν) ἐστὶν, uti in hoc enunciato factum est: εαυτὸν δὲ, ὅστις ἐστὶ, πάντα τινὰ ἐνόμιζον ἀνθρώπων εἰδέναι, vel in hoc Aeschinis I 41: ἵνα αὐτὸν γνωρίσητε, ὅστις ἐστίν, ubi ὅς ἐστιν aequae et bonum et Graecis usitatum esse infra patebit (vide §. 10). Itaque in eis locis, quorum supra mentionem feci (not. 1), cum quae in libris est scriptura ab Herodotea dialecto aliena ferri nequeat, dubitare possis utrum in τῇ mutari debeat an in κῇ. Illud a librariis cur ῆ factum sit quamquam facilius intelligitur, nimirum quia lector nescio quis grammatices peritus explicandi gratia adscripserit, tamen hoc reliqui loci simillimi commendare videntur.

Perpendas haec etiam exempla a Kruegero allata: τῆς τοῦ ὄντος θείας, οἷαν ἡδονὴν ἔχει, (i. e. τῆς ἡδονῆς, οἷαν ἔχει ἢ τοῦ ὄντος θεία) ἀδύνατον ἄλλω γεγεῦσθαι πλὴν φιλοσόφῳ, vel: τὸ γε στρατηγεῖν τοῦτ' ἐγὼ κρίνω, καλῶς γινῶναι τὸν ἐχθρὸν, ἢ μάλισθ' ἀλωσιμός (i. e. γινῶναι τὴν ὁδὸν, ἢ ὁ ἐχθρὸς μαλ. ἀλωσ.), et quae sunt alia similia. Concedas, opinor, Graecis haec non esse interrogativa, quantumvis prope absint ab obliquae interrogationis forma. Neque vero de hoc loco Euripidis Bacch. 815 (880): γινώσεται δὲ τὸν Διὸς Διόνυσον, ὃς πέφυκεν ἐν τέλει θεὸς δεινότατος, ἀνθρώποισι δ' ἡπιώτατος Matthiae assentior, cui ὃς πέφυκε esse pro τίς πεφ. videtur. Immo hic appositione quae vocatur, τὸν Διὸς Διόνυσον, in sententiam primariam per prolepsin inducta obiectum τὸν θεόν ab relativo pronomine assumptum est, ita ut verborum consecutio haec sit: γινώσεται δὲ (ἐκεῖνον) τὸν θεόν, ὃς πεφ. κτλ., τὸν Διὸς Διόνυσον i. e. γινώσεται δὲ, ὅτι ὁ Διὸς Διον. πέφυκε θεὸς κτλ.

Quodsi quae sententiam perspexeris, iam de hisce exemplis Herodoti IV 44: βουλόμενος Ἰνδὸν ποταμόν, ὃς . . . εἰδέναι, τῇ ἐς θάλασσαν ἐκδιδοῖ, πέμπει . . . Σκύλακα ἀνδρα Κα-

<sup>7)</sup> Simile exemplum habes, quamquam est etiam quo differat, de rep. VII p. 529 A: οὐκ ἀγενοῖς μοι δοκεῖς τῆν . . . μάθησιν λαμβάνειν παρὰ σαυτῆς; ἢ ἐστὶν (= οἷα ἐστίν).

θουανδέα, vel VII 236: τὰ σεωυτοῦ δὲ τιθέμενος εὐ γνώμην ἔχε τὰ τῶν ἀντιπολέμων μὴ ἐπιλέγεσθαι πρήγματα, τῇ τε στήσονται τὸν πόλεμον, τὰ τε ποιήσουσι, ὅσοι τε πληθὸς εἴσι, vel VIII 26: ἄγοντες δὲ τούτους ἐς ὄψιν τὴν βασιλέος ἐπυυθάνοντο οἱ Πέρσαι περὶ τῶν Ἑλλήνων, τὰ ποιέοιεν quid iudicandum sit, non est *verbum cur amplius addam*.

§. 10. Iam ex eis exemplis, quibus usi Herodoti interpretes legem istam supra propositam confinxerunt (de duobus aliis §. 11 dicam), unum tantummodo reliquum hoc est VI 124: ἀνεδέχθη μὲν γὰρ ἀσπίς, καὶ τοῦτο οὐκ ἔστι ἄλλως εἰπεῖν· ἐγένετο γὰρ· ὃς μὲντοι τὴν ὀ ἀναδέξας, οὐκ ἔχω προσωτέρω εἰπεῖν τουτέων.

Quod quamvis explicare posse tibi videaris addendo demonstrativum τοῦτον vel περὶ τούτου, similiter atque in eis enunciatis de quibus §. 5—7 agebatur, tamen vide ne non recte facturus sis. Nam colligas modo haec exempla:

Soph. O. C. 1171: ἔξοιδ' ἀκούων τῶνδ', ὃς ἔσθ' ὁ προστάτης. — ibid 571: σὺ γὰρ μ', ὃς εἶμι κάξ ὄτου πατρὸς γεγώς καὶ γῆς ὁποίας ἦλθον, εἰρηκῶς κυρεῖς. — id. Aj. 1259: οὐ μαθῶν, ὃς εἶ φίσιν, ἄλλον τιν' ἄξεις ἄνδρα δεῦρ' ἐλεύθερον; — id. O. T. 1068: ὦ δύσποτμ', εἴθε μὴ ποτε γνοίης, ὃς εἶ. — Eurip. Hel. 818: ἐρεῖ δὲ τίς μ'; οὐ γνώσεται γ' ὃς εἶμ' ἐγῶ. — id. Alc. 643: ἔδειξας εἰς ἔλεγχον ἐσελθῶν, ὃς εἶ. — Arist. Ach. 442: Δεῖ γὰρ — τοὺς μὲν θεατὰς εἰδέναί μ', ὃς εἶμ' ἐγῶ. — Thucyd. I 136: δηλοῖ, ὃς ἐστίν. — Xenoph. Cyr. VI 1, 48: πέμπει πρὸς τὸν Κῦρον εἰπῶν, ὃς τῆν. — Demosth. 52, 7: καὶ ἐκέλευσε τὸν Κηφισιάδην δεῖξαι, ὃς εἶη. — Plat. Men. p. 80 C: περὶ ἀρετῆς, ὃ ἐστίν, ἐγῶ μὲν οὐκ οἶδα. — ibid. p. 92 C: τούτους γοῦν οἶδα, οἱ εἴσιν. — id. de rep. p. 559 A: προελώμεθα δὴ τι παράδειγμα ἑκατέρων (sc. τῶν ἐπιθυμιῶν), αἱ εἴσιν.

Horum exemplorum quod altero et quod septimo loco posui ab reliquis paullo differunt, quippe quae pronomini personalis prolepsin ostendant. Quare ad ea diiudicari poterunt, quae superiore paragrapho exposui. Cetera vero nemo sane erit qui non esse revera interrogativa dicat. Ideo non defuere qui pronomem relativum ὃς, ut in hisce locis positum est, soloecum pronuntiarent. Vide Hermannum ad Soph. Aj. 1259, Matthiaeum ad Eur. Iph. T. 750 (767), ubi Elmsleius immerito (cf. §. 4) corrigere conatur vel *σήμαινε τῶ* vel *σήμαιν' ὄτω*.

Quid igitur hac de re nobis statuendum erit? Fateri debes in huiuscemodi obliquis interrogandi enunciatis pronomini ὃς locum esse, sed vehementer negabis hunc usum, qui certis quibusdamisque arctissimis finibus continetur, latius patere, id quod illi Herodoti interpretes voluerunt. Qui fines quales sint, et ipse, si in exempla quae proposui diligenter inquisiveris, perspicies, et doceri poteris vel ab Hermanno ad Soph. Aj. 1259 recte interpretante *qui sis* non *quis sis*, vel ab Bernhardyō, cuius verba haec sunt (Wiss. Synt. der gr. Spr. p. 291): *Erwähnung verdient der klassische Gebrauch (des ὃς), der gewöhnlich auf Verwandtschaft mit τίς gedeutet wird, da doch hierin vielmehr die Bestimmung*



dieser oder jener Persönlichkeit enthalten ist und der Sinn eher an οἶος grenzt. Eurip. Alc. 643 ἔδειξας . . . ὅς εἰ (ὅτι οὗτος εἰ, dass du der bekannte bist), coll. Ai. 1259. daher weder Plat. Meno p. 92 C. τούτους γοῦν οἶδα οἷ εἰσιν, welcherlei Art sie sind, einer Aenderung bedarf, noch Theaet. p. 209. C. (?), ὡς ἡ σοφία als ὅτι αὐτή, vel ab Raph. Kuehnero, qui haec verissime docet (Ausführl. Gramm. §. 836 Anm. 4): ὅστις (τίς) scheint angewendet zu sein, wenn der Fragende bloss zu wissen begehrt, welche Person oder Sache zu verstehen sei, ὅς dagegen, wenn der Gegenstand der Frage als bekannt vorausgesetzt und nur nach der Qualität des Gegenstandes gefragt wird.

Causa igitur in promptu est, cur ὅς pronomine in eiusmodi enunciatis interrogativis usi sint Graeci, utpote qui pro suo ingenii acumine distinguere voluerint has locutiones τίς ἐστι vel ὅστις ἐστι i. e. quis sit, et ὅς ἐστι (οἶος ἐστι) i. e. qui (qualis) sit.

Eodem fere reedit, quam legem equidem ex copia exemplorum eruere posse mihi videor: Quodsi in obliquis interrogationibus pronomen subiecti vice fungitur, nunquam pro interrogativo (τίς vel ὅστις) relatiuum ponitur; quodsi pronomen praedicati loco est, relatiuum ὅς adhiberi potest, quo res qualis sit potius quam res ipsa declaretur, ita ut ὅς prope tum accedat ad pronomen οἶος, ὅστις vero idem sonet atque τίς.

Itaque Herodoto VIII 57 aliter dicere non licuit atque sic ut fecisse videmus: εἶρετο ὅ τι σφι εἴη βεβουλευμένον; eidem tamen VI 124 optio data erat dicere vel ὅς μέντοι ἦν ὁ ἀναδεξας, οὐκ ἔχω . . . εἰπεῖν vel ὅστις μέντοι ἦν ὁ ἀναδεξας κτλ. Quid vero inter utrumque discriminis intersit, magis etiam perspicuum erit ex hoc Platonis enunciato: προελώμεθα δὴ τι παράδειγμα ἐκατέρων, αἷ εἰσιν i. e. welcherlei Art sie sind (= οἶαι εἰσιν), quod aliquanto sane differt ab altera locutione αἷτινές εἰσι i. e. welche es sind. Neque in dubio esse possis cur Thucydides I 137, 2 dicere maluerit φράζει τῷ ναυκλήρῳ, ὅστις ἐστὶ κτλ., cum idem paullo ante dixerit δηλοῖ ὅς ἐστιν.

Denique quid de Elmslei opinione (ad Eurip. Med. 1086) statuendum sit, quem Krueger (ad Thuc. I 136, cf. gr. gr. §. 61, 6, 2) seculus, οἶδά σε ὅς εἰ graece dici, minus bene οὐκ οἶδά σε, ὅς εἰ, sed potius οὐκ οἶδά σε, ὅστις εἰ vel τίς εἰ dicendum esse existimat, diiudicare poteris. Concedas oportet minus saepe hoc inveniri, quia sententia plerumque haec erit: ich kenne dich nicht i. e. ich weiss nicht, wer du bist, sed minus bene dici non concedes. Quandocumque enim sententia est: non novi (te) qui vel qualis sis, optime se habebit locutio οὐκ οἶδά σε, ὅς εἰ.

§. 12. Restat, ne quid quod ad rem faciat silentio praeterisse videar, ut dicam de paucis exemplis, quae quamvis similia videantur tamen diversi generis esse, si accurate investigaveris, probe intelliges, velut VII 9 §. 3: ἐξευρίσκειν χρῆν, τῇ ἐκάτεροι εἰσι δυσχειρώτατοι καὶ ταύτῃ πειρᾶν, VIII 13 extr. φερόμενοι τῷ πνεύματι καὶ οὐκ εἰδότες,

τῇ ἐφέροντο, ἐξέπιπτον πρὸς τὰς πέτρας, VIII 68: τῇ δὲ ἐγὼ δοκέω ἀποβήσεσθαι τὰ τῶν ἀντιπολέμων πρήγματα, τοῦτο φράσω.<sup>8)</sup>

Quorum relativam esse naturam optime Krueger indicavit ad primum illum locum paucis, ut assolet vir doctissimus, addens: τῇ *eine Stellung wo. gr. Spr. 51, 13, 9.*<sup>9)</sup> Pariter in altero exemplo, ubi nihil neque ab illo neque ab alio interprete adnotatum est, tu explicabis: unkundig der Gegend wo, der Richtung wohin sie getrieben wurden, in postremo denique: die Weise auf welche ich glaube dass... die werde ich angeben. Nec aliter interpretor haec verba VII 148: Ἀργεῖοι δὲ λεγουσι . . . πέμψαι θεοπόπους εἰς Δελφοὺς τὸν θεὸν ἐπειρησομένους, ὡς σοφὶ μέλλει ἄριστον ποιεῦσι γενέσθαι i. e. oraculum consulturos sc. de ratione qua utentes felicissimi futuri essent. Relativum est additamentum, ad sententiam non necessarium. Ceterum usitatissima cum sit locutio ἐπειρεσθαι (ἐρέσθαι) τινά τι, et hoc loco IX 54: ἐπειρεσθαι τε Πανσανίην τὸ χρεῶν εἴη ποιεῖν intelligas licebit τοῦτο (nach dem, was), nec VII 37: εἶρετο τοὺς μάγους τὸ θελοὶ προφαίνειν τὸ φάσμα, ubi Krueger dubitanter proposuit τί, emendatione opus esse videtur, tametsi utroque loco Optativus modus dubito an pronomen interrogativum commendet. — Ne vero eodem modo, quo alia illa exempla, etiam I 120 interpretari coneris, ita ut sit: er fragte sie in der Richtung wie, sie . . . erklärt hatten, obstant, nisi fallor, ea quae secuntur: οἱ δὲ κατὰ ταῦτα (= ὡσαύτως) εἶπαν λέγοντες ὡς κτλ. Quamquam haud scio an lector aliquis haud imperitus antiquis temporibus ita interpretatus ταύτη in margine adscripserit, unde librariorum errore in superiorem versum invectum esse suspicor. Eam esse vocabuli originem quam vel ad cap. 108 vocem ταύτη referendam vel de corruptela cogitandum esse mihi quidem verisimilius videtur.

Huius autem exempli (VII 139): ἐνθαῦτα ἀναγκαίῃ ἐξέργομαι γνώμην ἀποδέξασθαι ἐπίφθονον μὲν πρὸς τῶν πλεόνων ἀνθρώπων, ὁμως δὲ, τῇ γ' ἐμοὶ φαίνεται εἶναι ἀληθές, οὐκ ἐπισχῆσω mentionem non facerem, nisi quem Kruegeri verbis in errorem facile induci posse viderem: τῇ, *als ob folgen sollte* ἐρῶ. Rectius cum Steinio intelliges „οὐκ ἐπισχῆσω sc. τὴν γνώμην ἀποδέξασθαι“ i. e. ταύτη, τῇ γ' ἐμοὶ κτλ.

In hoc denique loco VII. 175: ἐβουλεύοντο πρὸς τὰ λεχθέντα ἐξ Ἀλεξάνδρου ἢ τε στήσονται τὸν πόλεμον καὶ ἐν οἷοισι χώροισι, id quod libri habent, ἢ ab Herodoti dia-

<sup>8)</sup> Similis est hic locus, qualem quidem Reiske, Struve, Krueger esse voluerunt, VII 209: ἀκούσας δὲ γέλωτά με ἔθεν λέγοντα τῇ πέρ (pro τὰ περ) ὄρεον ἐβησόμενα (τὰ) πρήγματα ταῦτα i. e. deridebas me dicentem quo modo haec eventura esse videbam.

<sup>9)</sup> Ubi quae docuit vir praestantissimus transcribenda curavi: *Relative Adverbien involviren nicht bloss die entsprechenden demonstrativen Correlative, sondern auch ein verschiedenes Verhältniss ausdrückende.*

lecto abhorrens utrum cum Struvio, quem reliqui fere secuti sunt, τῆ̄ faciam atque ad eorum similitudinem de quibus antea dixi explicem (über die Art und Weise wie und über die Orte an welchen i. e. περὶ τῶν χώρων ἐν οἷσις v. §. 7), an praestet potius emendare κῆ̄ (vel. ὄκη) τε στήσ. τ. π. κ. ἐν ὁτέοισι (ὁκοίοισι) χώροις; dubito. Hoc alterum tamen mihi praefendum videtur. Attamen ego quidem non assentior, si quis etiam huic loco VII 10 extr.: γνόντα ἐπ' οἷους ἄνδρας ἀναγινώσκεις στρατεύεσθαι βασιλέα quamvis facili coniectura subveniendum esse putet ἐπ' ὁκοίους, quippe qui simillimus sit illi (IV 53) de quo supra diximus §. 5 extr.

§. 13. Iamque unde exorsa est oratio eo ut redeat, quod promisi praestitisse mihi videor atque evicisse in hoc enunciato vere interrogativo: εἶρετο Ἀστυάγης, τῆ̄ (Immo κῆ̄) ἔκρινάν οἱ τὴν ὄψιν, pronomini vel adverbio relativo nequaquam locum esse. Corruit enim lex ista interpretum, quibus non tam dicendum erat: *in obliquis interrogandi enunciatis apud Herodotum saepe inveniri pronomem relativum*, quam hoc potius: *saepenumero fieri, ut Graecis quae sint revera relativa enunciata nobis linguam vel vernaculam vel latinam comparantibus videantur esse interrogativa.*

Scribebam Fuldae a. d. V. Kal. Januarias MDCCCLXIII.

# Schulnachrichten.

## A. Lehrerfassung.

Uebersicht des von Ostern 1863 bis Ostern 1864 erteilten Unterrichtes.

### Prima.

Ordinarius: Der Direktor.

1. Griechisch: 6 St. Thucyd. I und II mit Auswahl. Sophocl. Ajax und Antigone (nicht ganz) nebst Einleitung in die griechische Tragödie. Grammatik nach Buttman §§ 134—145 nebst Repetition früherer Abschnitte. Exercitien nach Franke 3. Kursus. Dr. Weismann.

2. Latein: a) 6 St. Sallust. bellum Jugurth., Cic. de oratore I § 1—160. Exercitien, Extemporalien, freie Aufsätze. Uebungen im Lateinsprechen. Wiederholung einzelner Abschnitte der Grammatik nach Meiring. Dr. Ostermann. — b) 2 St. Horat. carm. I, II, III, mit Auswahl. Die Erklärung zum Theil lateinisch. Der Direktor.

3. Deutsch: 4 St. Geschichte der deutschen Literatur von den ältesten Zeiten bis zum Zeitalter der Reformation (nach Büß' Leitfaben). Lektüre zahlreicher Proben nach der Auswahl von Schwarz. Das Wichtigste aus der mittelhochdeutschen Grammatik. Erklärung der Iphigenie von Goethe. Uebungen im freien Vortrage. Aufsätze. Der Direktor.

4. Französisch: 2 St. Lektüre von Victor Hugo's und Lamartine's Iyrischen Gedichten in Gräfer's Anthologie. Uebersetzungen aus dem Deutschen in's Französische. Breunung.

5. Religionslehre: 2 St. a) kathol. Sittenlehre, nach Martin's Lehrbuch. Hahn. — b) evangel. Symbolik, nach Schmieder. Geschichte des Reiches Gottes im N. B. Dr. Claus.

6. Geschichte: 3 St. Das Mittelalter nach Büß. Wiederholt wurde im Sommer die griechische, im Winter die römische Geschichte. Gegenbaur.

7. Mathematik: 4 St. Schwierigere Gleichungen. Kombinationslehre und der binomische Lehrsatz. Uebungen nach Heis §§ 63—73, 90 und 92. Wiederholung und Fortsetzung der Stereometrie. Geometrische, stereometrische und trigonometrische Übungsaufgaben. Dr. Gies.

8. Physik: 2 St. Die Lehre vom Lichte, von den tropfbaren und elastischen Flüssigkeiten, vom Schalle, von der Elektricität und vom Magnetismus. Dr. Gies.